

finio et hominibus in lignis et lignorum ductura gravissimas oppressiones; compellebantur omnes¹, qui videbantur aliquid habere, rura postponere et in Praunnaw ulterius residere. Ipso anno pons in Praunnaw trans Enum edificabatur.

Frater Albertus episcopus Ratisponensis Romam proficiscitur et gravem curam pontificatus eiusdem subterfugiens in manus domni pape voluntaria (!) prebuit cessionem, cui domnus Leo decanus ipsius rector subrogatur. — —

p. 279. MCCLXII. Ludwicus dux Bawarie circa festum beati Iacobi predia marschalch (!) de Bappenheim et fautorum suorum, immo civitatem Winzenburch incendio vastavit.

Premûsel qui Otacher rex Bohemie dimissa preter iudicium ecclesie domna Margareta uxore sua, filia felicitis memorie Leupoldi ducis Austrie, nepotem regis Ungarie sibi matrimonio copulavit. Exinde in festo nativitatis domini Prage coronantur a Wernhero archiepiscopo Maguntino. — —

p. 281. MCCLXVI. Otacharus rex Bohemie intravit Bawariam versus Chamb . . .² Salzburg(enses), Patav(ienses) cum municionibus eorundem et fecit multa mala in Bawaria in augusto mense, destruens Regenstauf et Nytnaw, et tunc mansit ibi rex per biduum Ratisbone et post revertitur ad civitatem Eger, que tradita est regi, et sic transivit Bohemiam.

Eodem anno domnus H. dux Bawarie post recessum p. 282. Otachari MCCLXVI III. kal. novembris per traditionem quorundam magnam partem Patavie civitatis exussit, videlicet Novum forum et celare domnorum canonicorum et exivit per portam civitatis, per quam sine dispendio intravit, que hodierna die vocatur 'Datz dem verlorem tor' prope Enum. Et idem H. devastavit domno episcopo Pataviensi forum suum Velden.

Eodem anno Otakarus rex Bohemie iterum cum magno exercitu vadit in Ratisponam. — — —

MCCXC. — — dux Austrie obsedit opidum Rastat per informationem Wulfingi de Goldek ministerialis — —

p. 291. Recedente vero duce Austrie Chunradus dictus Chuchler, qui tunc erat obsessus in civitate Rastat, exivit cum comitatu domni archiepiscopi Salzburgensis, quia capitaneus et vicedominus destruxit domno de Goldek castrum in Tachsenpach ac alia castra sive feuda, que habuit ultra montana.

1) 'omnis' cod. 2) Lücke für ein Wort.